



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sponsalia Et Matrimonium**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

Titulus IV. De Sponsa duoum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

culis, quæ probari non possunt *can. erubescant 11. dist. 32.* Gloss. hęc *V. compellendi* Imò tali casu clam contrahentes ab invicem sunt separandi per Ecclesiam, eò quòd Canones præsumant, nullum inter eos contractum esse legitimum Matrimonium, sed potius adulterium, stuprum, aut fornicationem.

*Ratio secundæ partis*; quia tunc constat Ecclesiæ, inter eos Matrimonium contractum esse: ideoque recipitur, & approbatur ab hac tale Matrimonium, tanquam legitime probatum per Confessionem partium contrahentium.

851 Dixi autem *Regulariter*; excipi enim debet, nisi agatur de præiudicio alterius Matrimonij publicè contracti; quia tunc non est credendum simplici assertioni contrahentium, nisi Matrimonium clandestinum aliter probetur, vel ostendatur, illud, quòd publicè contractum est, ob impedimentum dirimens fuisse irritum. *Fagnan. in c. 2. cit. n. 5. 6. 7. Pirhing hic n. 34. not. 3.*

852 Quæritur 3. Quale Matrimonium sit observandum, si Titius primò cum Bertha contraxit Matrimonium clandestinè, postea cum Caja palàm, seu publicè? *U.* Si prius clandestinum sufficienter probari non potest, non est cogendus Titius ad observandum prius Matrimonium, sed potius ad posterius contractum publicè, ut rectè

monet Pirhing *hic n. 35.* *Ratio est*, quia etsi per posterius Matrimonium, utpote reipsa nullum, non sit dissolutum prius, de priore tamen, utpote clam contracto, ex defectu probationis non sufficienter constat Ecclesiæ, de posteriore verò constat. Igitur cum de ea re, de qua cognovit Iudex, etiam pronuntiare debeat *l. de qua re 74. ff. de re iudic.* Iudex Ecclesiasticus eo casu compellere debet Titium ad observandum Matrimonium secundum; ipse tamen Titius observare illud contra conscientiam suam non poterit, sed debet potius Excommunicationem, si hæc in illum feratur, humiliter sustinere; licet hæc ipsum duntaxat liget in foro externo, non verò in interno.

Quæritur 4. Quis sit effectus publicationis Matrimonij clandestini? *U.* Ubi validè Matrimonium clandestinum potest contrahi, Publicatio illius hunc effectum Matrimonio tribuit, acsi ab initio in facie Ecclesiæ contractum fuisset, ut patet ex *c. quod nobis 2. b. tit. in fin. & advertit Alex. de Nevo ibid. n. 7. Pirhing n. 34. not. 4.* Ex quo sequitur prolem, ex tali Matrimonio ante publicationem illius susceptam, post factam publicationem pro legitima omnino habendam, licet postea detegatur impedimentum occultum, ob quòd Matrimonium ipsum revera fuit irritum. Videatur *n. supra 79. & duo seqq.*

## TITULUS IV.

### De Sponsa duorum.

Hoc Titulo duo proponuntur Matrimoniorum Impedimenta, unum *Ligaminis* dirimens, alterum *Sponsalium* impediens. *Priore* istorum invalidum est Matrimonium, quod post aliud contractum cum alia, initur cum secunda, stante vinculo prioris Ma-

rimonij. *Postiore* prohibetur, ne qui Sponsalia de futuro cum una contraxit, ante illorum dissolutionem aut Sponsalia aut Matrimonium contrahat cum alia, & statuitur, Sponsalia quidem secunda invalida omnino esse, Matrimonium verò illicitum.

### §. I.

#### De Impedimento Ligaminis.

## S U M M A R I U M.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Definitur Impedimentum Ligaminis.  | 11. Nunc omnibus prohibita.   |
| 2. 3. Requisita, ut inducatur hoc Impedimentum.   | 12. Polyviria prohibita est Jure Divino, & Naturali.                        |
| 4. Effectus ejus primarius.   | 13. Potest tamen in hac dispensare Deus.                                    |
| 5. Hujus extensiones.   | 14. Quæ dispensatio non est propriè dicta.                                  |
| 6. Effectus secundarius illius est poena: ubi, quæ poena sit inducta Jure Civili super crimine Polygamie. | 15. Altera Polygamie species certò prohibita est Jure Divino.               |
| 7. Poena Juris Canonici.  | 16. An etiam naturali, disconveniunt DD. Sententia affirmans.               |
| 8. Polygamie definitio, & duplex ejusdem species.   | 17. 18. 19. Sententia negans.   |
| 9. Ex primeva Matrimonij institutione illicita est.   | 20. Sc. Tenetur via media.  |
| 10. Postea permessa populo electo,  | 24. Secundum Matrimonium, stante Matrimonio prius contracto, invalidum est. |

25. Etiam si hoc consummatum sit, & prius ratum duntaxat.  
 26. Non potest Pontifex condere Legem, ut per secundum consummatum dissolvatur prius

**Q**uæritur 1. Quid sit Impedimentum Ligaminis, & quid requiratur ad illud inducendum? *¶* Impedimentum Ligaminis est vinculum Matrimoniale, quo unus conjux alteri sic alligatur, ut eo vinculo durante, cum nullo alio contrahere Matrimonium possit. Ita quoad sensum omnes.

Ad inducendum hoc Impedimentum tria requiruntur. 1. Ut præcesserit Matrimonium ratum saltem *c. fin. b. tit.* nam ex Sponsalibus de futuro impedimentum hoc non confurgit *c. si inter 31. de Sponsal. c. duobus 1. b. tit.* Quia Sponsalia solum dant jus ad rem, quod proprietatem non tollit, & conf. nec libertatem, corpus suum per verba de presenti, & Matrimoniale contractum valide tradendi alteri. Magnif. P. Schmier p. 3. *de Sponsal. & Matr. c. 2. n. 190.* & dicitur *infra n. 29.*

2. Ut Matrimonium prius vero, & legitimo consensu contractum fuerit; nam si iustè solum, & animo non contrahendi, aut non se obligandi initum fuerit, in foro conscientia non inducit Impedimentum Ligaminis; quia in hoc foro statur rei veritate, in rei veritate autem Matrimonium fictum, utpote consensu, seu forma substantiali destitutum, non valet. Ergo ex illo non potest oriri impedimentum Ligaminis dirimens, cum juxta *Reg. 52. in 6. non præfret impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum.* Addidi autem, in foro conscientia; nam in foro externo, nisi probetur fictio (quod difficulter fiet, cum in animo solo consistat) hujusmodi Matrimonium præsumitur verè, & validè contractum, & sic in eodem foro præsumitur etiam induxisse Impedimentum Ligaminis *arg. c. per tuas 10. de Probat. König hic n. 5. §. alterum.*

3. Ut Matrimonium etiamnum perseveret; nam vinculo ejus per mortem, Professionem solennem, vel Dispensationem Apostolicam, si Ratum sit, dissoluto, redit prior libertas validè contrahendi Matrimonium cum alia persona, quæ per Matrimonium præcedens ablata fuit. *König l. cit. §. tertium.* Quod verò Matrimonij vinculum, si ratum duntaxat sit, per Professionem Religionis solennem, & Dispensationem Apostolicam dissolvi possit, ostendetur *infra Tit. 6. & Tit. 19.* Morte dissolvi vinculum Matrimonij etiam consummati, & dari licentiam contrahendi Matrimonium alterum, tertium, quartum &c. est de Fide contra Montanum, & Cataphrygas, qui secundas Nuptias fornicationem dixerunt: & constat apertè ex S. Paulo *Rom. 7. & 1. Corinth. 7.* ubi ait: *Mulier alligata est Legi,*

ratum.

27. Non potest Polygamia fieri licita per consuetudinem.  
 28. Vel per Dispensationem Apostolicam.

quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat idque probatur ex omnium Gentium, & temporum consuetudine; semper enim tam in Lege nova, quam in antiqua licitum fuit post mortem conjugis contrahere aliud Matrimonium.

Quæritur 2. Quis sit Effectus Impedimenti ligaminis? *¶* Effectus illius primarius est, ut impediatur Matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, adeo ut si quis cum duabus de præsentibus contraxerit, ei adherere debeat, cum qua prius contraxit, etsi illam nondum carnaliter cognoverit, ut statuitur *c. fin. b. tit.* & notant Abb. *ibid. n. 1. Vivian. ad c. cit. §. etiam si*; Barbof. *in c. 3. eod. n. 2.* Canif. *hic pr. Valens. n. 2. Zæf. n. 3. Honor. n. 3. Pirhing n. 5. König n. 6.* Ratio est, quia cum prima per legitimum consensum fuit contractum indissolubile vinculum Matrimonij, etiam sine carnali copula; nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, ut *l. nuptias 30. ff. de R. J. Ulpianus ait.*

*Proceditque hoc 1.* Quamvis secundam prius cognoverit; quia carnalis copula sine legitimo consensu non facit legitimum Matrimonium. *Zæf. König l. cit. Procedit 2.* Etsi primum Matrimonium inutile sit ob morbum, vel supervenientem impotentiam *can. hi qui 25. caus. 32. q. 7.* aut sterilitatem *can. tantum 27. q. cit.* aut diurnam absentiam conjugis *c. Dominus 2. de secund. nupt. Trid. sess. 24. can. 5. de Sacra Matr. Procedit 3.* Ut nulla Impedimentum istud abrogare contraria consuetudo possit; quia Matrimonium legitime contractum insolubilitatem habet à Jure naturali, vel saltem Divino, ut suo loco ostendetur *Tit. 19. de Divort.* atqui Juri naturali, aut Divino nulla Lex, aut consuetudo præjudicare potest, vel eidem derogare *c. fin. de consuetud.* *Ex quo sequitur,* hoc Impedimentum afficere etiam Infideles: Et hinc Gentilis, qui secundum ritum suum legitimum repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam, ea vivente, licitè poterit aliam, etiam ad Fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum eo, aut si cohabitare velit, id facere velit non absque contumelia Creatoris *c. gaudemus 8. de Divort.*

*Secundarius hujus Impedimenti Effectus est poena, quam ij, qui primo Matrimonio durante, secundas nuptias attentant, incurunt: quæ alia est de Jure Civili, alia de Jure Canonico. Jure Civili hujusmodi Nuptias attentantes, incurunt poenam in-*

famiae l. Praetoris 1. ſu. ff. de his, qui not. infam. l. neminem 2. C. de inceſt. & inutil. nupt. l. eum, qui 18. C. ad Leg. Jul. de Adult. & in Germania, ſi ſecundum Matrimonium conſummaverint, gladio, & ultimo ſupplicio puniuntur. Ordin. crim. Carol. V. art. 21. Gonzal. in c. 1. b. tit. in 6. König hic n. 6. ſu. Reiffenſtuel ibid. n. 4.

Jure Canonico per c. accepſiſti 2. b. tit. illi, qui Matrimonium ſcienter cum uxore alterius contraxit, olim Eccleſia impoſuit publicam poenitentiam per ſeptem annos cum jejuniis per 40. dies in pane & aqua, quod *Carenam* vocant. Hujus Poenitentiae hodie non amplius uſus eſt: unde imponenda ipſi eſt poenitentia pro arbitrio prudentis Confeſſarij, ut notat Vivian. in c. cit. pr. Inſuper (quæ poena etiam mortem legitimi ſui conjugis non poteſt ducere, ob impedimentum criminis, de quo infra Tit. 7. & merito, ne daretur illi anſa machinandi mortem priori ſuo marito. Ad quod tamen duo requiruntur. 1. Ut eam ducens, ſciverit illam eſſe uxorem alterius, vel ſaltem deſponſatam per verba de præſenti; nam ſi ignorans contraxit cum illa, non peccat, ſed poteſt eam ducere poſt mortem primi viri c. propoſitum 1. de eo, qui duxit &c.

2. Ut eam cognoverit, vivente adhuc priore viro c. ſu. eod.

Quæritur 3. Quid ſit Polygamia, & quotuplex, & an aliquando fuerit licita? *Polygamia* eſt, quando unus vir ſibi Matrimonio ſimul jungit plures uxores, aut una mulier ſibi plures viros. Et hinc pater diſcrimen à Bigamia; nam per hanc, ſi vera ſit, initur Matrimonium cum pluribus ſucceſſivè tantum, & poſt diſſolutionem Matrimonij cum priore, quod, ut u. 3. dictum eſt, omni tempore erat licitum. Duplex autem communiter diſtinguitur: una, quâ una mulier duobus, vel pluribus viris jungitur; altera, quâ uni viro duæ, vel plures copulantur uxores.

Certum autem eſt 1. Matrimonium ex primæva ſua inſtitutione, à DEO in Paradifo facta, eſſe conjunctionem unius viri cum una foemina, & ſic initio ſtatim illicitam fuiſſe Polygamiam, Patet ex c. 2. Genef. v. 24. ubi DEUS ad Adam, vel Adam DEI inſtinctu, *Adhærebit*, inquit, uxori ſue, & erunt duo in carne una. Ex quo textu Innocentius III. unitatem Matrimonij probat, dum Epilcopo Tiberiadis, referens, *In carne una*, ait, *erunt, non dixit, tres, vel plures, ſed duo; nec dixit, adhærebit uxoris, ſed uxori*. prout refertur c. gaudemus 8. y. verim de Divorſijs.

Certum eſt 2. non omni tempore Polygamiam fuiſſe illicitam, prout volebant aliqui, qui putabant, permiſſam illam ſolum fuiſſe in veteri Teſtamento, tanquam minus malam; nam etiam Patriarchæ, Ab-

raham, Iſaac, Jacob &c. plures habuerunt uxores, qui cum fuerint viri Sanctiſſimi, iſtud non feciſſent, ſi illud illicitum ſuo tempore fuiſſet. Unde merito illos S. Auguſtinus juxta temporis illius morem excuſat, dum l. 22. contra Fauſtum c. 47. prout refertur can. obſciantur Jacob quatuor uxores, quod, quando mos erat, crimen non erat, ita ſcilicet diſpenſante DEO per inſpirationem internam factam Patriarchis, quæ derivata eſt vi exempli, & conſuetudinis ad reliquos ex populo Iſraëlitico &, ut quidem Bellarminus, Ledefma, Valentia volunt, etiam ad populum Gentilium: quod tamen cum Soto, Henriquez, Barthol. à Ledefma negat Sanch. l. 7. de Matr. D. 80. n. 13. quod in his non militet diſpenſationis Divinæ ratio, nempe fidelis populi multiplicatio.

Certum eſt 3. Polygamiam deſacto prohibitam eſſe omnibus; quia conjugale ſcœdus à Chriſto ad Divinæ inſtitutionis primævum ſtatum revocatum eſt, & libellus repudij antiquatus. Et hinc non ſolum fideles, ſed etiam infideles, dum vel plures ſimul, vel unâ dimiſſâ, ducunt aliam, delinquant graviter, & obligantur, ſuperinductâ repudiata, iterum adhæreere primæ, ut ex c. quanto 7. & c. gaudemus 8. de Divorſ. docent Henriq. l. 12. de Matr. c. 6. n. 2. Ledefm. p. 2. q. 67. art. 3. Sanch. D. 80. cit. n. 14. qui propterea addit, non poſſe ſuſtineri ſententiam Abulenſ. in c. 19. Matth. q. 35. paulò poſt pr. ubi putat, infideles nunc non peccare accipiendo plures uxores: & multò minus defendi poteſt opinio Cajetani, dum in cit. c. 19. Matth. docet, pluralitatem uxorum nec explicitè, nec implicitè in Divina Lege eſſe prohibitam.

Quæritur 4. Quo Jure prohibita ſit prior Polygamiae ſpecies, quâ una mulier duobus, vel pluribus viris jungitur, quam propterea aliqui Polyviriam appellant? 32. Prohibita eſt Jure Divino, & naturali. Ita concors omnium DD. ſenſus cum S. Auguſt. l. 3. de Doctr. Chriſt. c. 12. & libr. de bon. conjug. c. 17. & S. Thom. in 4. diſt. 33. q. 1. art. 1. ad 7. Ratio eſt, quia repugnat imprimis fini conjugij primario, & à natura præcipuè intento, nempe generationi, & bonæ educationi proles: generationi quidem; quia hæc pluribus ſe commiſcendo impeditur, ut hæc vel nunquam, vel rarè ſubſequatur, ut patet in meretricibus: bonæ educationi autem: quia cùm proles in hujusmodi commixtione unius mulieris cum pluribus viris incerti ſit patris, nullus ex his pluribus viris eam tanquam ſuam teneretur agnoſcere, & ſic neque curaret, ut bene educaretur, quod tamen præcipuum officium patris eſt: deinde etiam adverſatur fini ſecundario Matrimonij, nimirum tranquillæ cohabitationi,

& paci conjugum; ubi enim multa capita sunt unius corporis, nempe multi viri in eadem familia, innumeræ rixæ excitabuntur. Et hinc ista Polygamia species, seu Polyviria nulla unquam dispensatione permiffa fuit, nullius bene instituta, imò barbara etiam Gentis usu recepta.

**13** *Dubium est*, an saltem possit Divina Dispensatione licita fieri? Negat Bellarm. l. 1. de Matr. c. 11. post. 2. propos. propter repugnantiam, quam, ut dixi, habet cum fine conjugij primario; ac proinde putat, sicut mendacium, & perjurium, ita & ipsam in nullo unquam casu posse licitam fieri.

Sed probabilius est, quòd per absolutam DEI potentiam ejusmodi nuptiæ unius mulieris cum pluribus viris possint subsistere. Ita Major in 4. dist. 33. q. 1. ad 1. Petr. de Ledesm. de Matr. q. 65. n. 2. dub. 2. concl. 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 80. n. 15. Conink D. 26. de Sac. dub. 2. n. 29. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 9. Perez D. 35. de Matr. sed. 4. n. 3. Pirhing de Sponsal. n. 130. Wiestner hic n. 3. Ratio est, quia sicut supremum, & absolutum dominium DEUS habet in res creatas cæteras, ita etiam habet in corpora maris, & foeminae. Igitur concedere potest foeminae, ut absque ulla mariti injuria corpus suum ad usum, & actus conjugales tradat alij viro, & utque iste hanc illius traditionem acceptet, & vicissim corpus suum ad ejusmodi usum foeminae tradat; sic autem inter ejusmodi mulierem, & viros illos plures oriatur vinculum conjugale, ergo &c. *Conf.* Si Polyviria etiam per absolutam DEI potentiam fieri licita nunquam posset, causa foret, quia repugnat Juri naturali. Ex hoc Argumento nihil probatur; quia tantum repugnat Juri naturali, quòd DEUS potestatem hanc non concefferit homini. Igitur si licentiam istam concederet DEUS, Polyviria foret licita.

**14** *Ex quo sequitur*, quòd DEUS permittendo Polyviriam, propriè non dispenset in Lege naturali; sed tantum conditionem apponeret, quâ posita, mala, & prohibita esse desineret, ut in simili omnes concedunt casu, quo DEUS præciperet occidi innocentem, vel ut auferatur res aliena proprio Domino invito: nam etiam hæc per se Juri naturali adversantur; quia tamen dominio DEI supremo subjacent, ejusdem promissione fieri licita possunt.

Neque obstat in contrarium à Bellarmino allata ratio; quia aliter provideri à DEO potest, ne ejusmodi conjugium adversetur bono prolis, vel alia n. 12. enarrata incommoda afferat. Ad id, quod additur de Mendacio, & Perjurio, disparitas est; quia mendacium, & perjurium sunt actiones per se, ex objecto suo, & intrinsecè malæ, ita, ut malitia ab ijs separari non possit; at Polyviria solum mala est, & contra Legem naturalem, quamdiu ad eam

non dat licentiam DEUS, quam si dederit, licita, & honesta efficietur.

Quæritur 5. Quo Jure prohibita sit altera Polygamia species, quâ unus vir plures ducit mulieres? *Certum est* prohibitam esse Jure Divino; nam hoc patet ex Definitionibus Conciliorum Nicæni, & Tridentini, quorum prius can. 24. ait, à Deo ordinatum esse, ut nemo duas, aut plures uxores habeat; alterum sess. 24. can. 2. de Sac. Matr. anathema dicit illi, qui dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum. *Conf.* Si enim, Divina Veritate prohibente Matth. 19. v. 9. in nova Lege, una uxore dimissa, alia duci non potest, multo minus licebit ducere aliam, primâ retentâ. *Rationes prohibendi æquissimæ* fuere. 1. Enim pluralitas uxorum aliquo modo impedit finem primarium Matrimonij, quæ est generatio prolis; nam pluribus foeminis conjuncti sæpè minus foecundi sunt, ut exemplo Salomonis docemur, qui ex mille tum uxoribus, tum concubinis suscepit unicum prolem masculam, videlicet Roboamum 3. Reg. 11. v. 43. & duas duntaxat filias, Eraphet, & Basemat, teste Suida apud Pont. l. 7. de Matr. c. 49. n. 2. 2. Non satis convenit cum fine secundario illius, qui est socialis vita, & gubernatio domestica; quia facillimè oriuntur rixæ, invidia, Zelotypia &c. inter plures uxores, præsertim si una præ alijs à viro diligeretur. 3. Eadem tollit significationem Sacramenti, quam ex institutione Divina fidelium conjugia consummata habent, scilicet representationem unionis Christi cum Ecclesia, unius cum una, eaque immaculata Sponsa.

*Dubium est*, an hæc uxorum pluralitas etiam Jure naturali prohibita sit? Affirmant Aureolus, relatus à Capreol. in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. Henric. l. 12. de Matr. c. 16. Petr. de Ledesm. de Matr. q. 65. art. 1. concl. 2. & duab. seqq. Bellarm. l. 1. de Matr. c. 11. Menoch. de arbit. cas. 420. à n. 46. Hurtad. D. 9. n. 3. König hic S. 1. n. 2. Magnif. P. Schmier p. 3. de Spons. & Matr. c. 2. n. 205. Fundantur 1. argumento deducto ex illo Pauli 2. Corinth. 7. v. 7. ubi Apostolus, Mulier, inquit, sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier quibus verbis vir, & mulier quoad mutuum corporum traditionem æquiparantur. Atqui Juri naturali, ut n. 12. dictum est, repugnat, ut mulier, viro superflite, jus in corpus suum alteri tradat. Ergo eidem Juri repugnat, ut illud faciat vir vivente adhuc uxore sua. 2. Etiam apud Gentiles, qui prudentiæ, & honestatis laude præ alijs floruere, Polygamia per Leges fuit prohibita, videlicet apud Athenienses Lege Cæcropis, apud Romanos Lege 12. Tabularum, & alijs posterioribus; imò apud hos qui

qui binas nuptias eodem tempore conſtitutas habebat, ex Prætoris Edicto infamiâ notabatur, ut patet ex *l. cift. n. 6.* atqui Gentiles folius rationis, & luminis naturalis ſequebantur ductum. Igitur ex ipſius Naturæ inſtinctu Polygamia illicita eſt. 3. Juris naturalis Principia exigunt, ut ex contractu nuptiali uxor vir præſtet id, quod ille ab hac vi ejuſdem contractûs exigit; nam vir, & uxor quoad thori conjugalis fidem ad imparia non iudicantur *can. ſiquis uxorem 4. fin. cauſ. 32. q. 1.* atqui ex contractu nuptiali vir ab uxore exigit, ut corpus ſuum ad actus ex ſe aptos ad generationem proliſ nulli alteri tradat. Igitur hoc quoque uxor Jure expoſcit à viro.

17 *Altera Sententia cum Durand. in 2. diſt. 33. q. 1. n. 9. § 10. Abulenſ. in Matth. c. 19. q. 30. ad 2. & q. 33. Corp. § ad 1. Cajetan. in Genef. c. 16. poſt princ. Medin. l. 4. de Sac. homin. continet. contr. 1. c. 9. Veracruſ p. 2. Specul. art. 15. concl. 1. § 2. Palatius diſt. 33. cit. D. 1. fol. 732. Gu-tier. de Matr. c. 106. n. 1. Gonzal. in c. 1. b. tit. n. 7. fin. negat uxorum pluralitatem Juri naturali aduerſari. Nituntur & ipſi non leuibus Argumentis. Nam 1. Polygamiam complures Gentes non ſolum tolerant, ſed etiam Legali permiſſione non obſcurè approbant, vel approbârunt ſaltem olim; ſic enim apud Thraces tribus, aut quatuor, imò triginta uxoris copulari mos erat, ut teſtatur Heractius; apud Numidas, & Mauros quiſque pro ſuis opibus uxores habet quamplurimas: nec diſſimilis conſuetudo in Africa circumfertur, ſi Herodoto, Diodoro, & Joſepho credimus. Idem de alijs Nationibus refert Tiraquell. l. 9. *comub. Beyerlinch tom. 2. V. Conjugium*, Tholoſan. ſynt. l. 10. c. 1. & Valentinianus Imp. poſtquam ſuperſtite priore, nec repudiata, alteram duxit, ut leuius videri poſſet patratum à ſe facinus, Legem tulit, per quam cuius liceret duas ſimul habere uxores, ut referunt Socrat. l. 4. c. 26. & Paul. Diacon. l. 1. c. 2. atqui non eſt credibile, has omnes Gentes Juris naturalis cognitione deſtitutas fuiſſe, aut in ejus cognita principia impegiſſe.*

18 2. Si pluralitas uxorum repugnaret Juri naturali, eatenus repugnaret, quatenus repugnaret fini ejuſdem, qui maximè triplex eſt, proliſ generatio, ejus educatio, & tranquilla conjugum cohabitatio. Atqui his non repugnat; nam 1. per uxorum pluralitatem generatio proliſ poſtius promovetur, cum conſtet ab uno viro ſecundarij plures uxores poſſe, prout patet in antiquis illis Patriarchis, qui plures habuerunt uxores, ut unius ſterilitas ſuppleretur per fecunditatem alterius, & ſic humanum genus, & gens à DEO electa eò faciliùs multiplicaretur. 2. Poſſet adhuc haberi educatio proliſ congrua; quia hæc educari poſſet

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

apud ſuam quæque matrem, ab alijs ejuſdem thori conſortibus ſeparatam. 3. Si hoc modo à ſe invicem uxores plures quoad habitationem ſepararentur, caveri poſſent odia, & diſcordiæ. Et eſto, inde exſurgerent incommoda aliqua, ita, ut ſecundus, & tertius finis ex accidenti plenè non obtineatur, ſunt tamen hi fines minùs primarij, ut adeo, cum primus finis, qui primarius eſt, magis promoveatur, quàm impediatur pluralitate uxorum, huic ceteri, tanquam ſecundarij, & ſubordinati debeant cedere.

3. S. Auguſtinus *can. obſciantur 7. 19 cauſ. 32. q. 4.* Jacob, qui quatuor uxores habuit, & alios Patriarchas excuſat à culpa propter præſci illius temporis morem, ſeu conſuetudinem; & S. Thom. in 4. diſt. 33. q. 1. art. 1. ad 1. fatetur, conſuetudinem poſſe ab hac uxorum pluralitate excuſare. Atqui conſuetudo contra Jus naturale prævalere non poteſt *c. fin. de conſuet.* ſed tantùm aduerſus Jus humanum, ergo &c. Conf. nam ſi licet uxori in totum cedere Jure ſuo, & conſentire, ut vir Religionem profiteatur, cur non licebit, attento ſolo naturæ Jure, ſibi præjudicare in parte, & conſentire, ut alix ſimul uxores poteſtatem corporis viri ſui habeant, legitimo cum eis Matrimonio inito?

Tenenda videtur Sententia inter utramque priorem media, & dicendum, uxorum pluralitatem aduerſari quidem Juri naturæ, non tamen ita, ut eam excludat ipſa Matrimonij natura, & eſſentia, ſed inſtitutio ejuſdem in ipſo mundi exordio facta à DEO, quâ unam tantùm uni conjunxit. Ita Sanch. l. 7. de Matr. D. 80. n. 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 7. § 2. Pal. tr. 28. D. 3. p. 1. à n. 3. Perez D. 35. de Matr. ſed. 2. à n. 4. Wiefner hic n. 7. cum alijs DD.

Dixi 1. Pluralitatem uxorum non excludi à Matrimonio per ipſam ejus naturam, & eſſentiam; hoc enim probant Argumenta ſecundæ Sententiæ. Conf. Nam ſi uxorum pluralitatem excluderet ipſa Matrimonij natura & eſſentia, ea per nullam DEI diſpenſationem fieri licita poſſet, per tradita *Libr. 1. Tit. 2. n. 56.* atqui ad eam à DEO diſpenſari poſſe ſupponit Innocentius III. *c. gaudemus 8. de Divort.* ibi, *Nec ulli unquam licuit in ſimul plures uxores habere, niſi cui fuit Divina revelatione ( ſive DEI revelantis diſpenſatione ) conſeſſum.* Ergo &c.

Dixi 2. illam excludi inſtitutione Divina: quod indubitatè ſumitur ex illo *Genef. 2. v. 24.* ubi Deus, *Quamobrem*, inquit, *dereſinquet homo patrem ſuum, & adherebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una:* quibus verbis nuptiale foedus ſic inſtitutum eſt, ut unus ſolum vir uni uxori, non unus plures uxoris, aut una pluribus viris conjungi poſſit, quemadmodum explicat Chriſtus ipſe *Matth. 19. v. 5.* ubi unitatem Matrimonij

7.

mq.

monij in ejus primam institutionem refundit, dicens: *Qui fecit hominem ab initio. masculinam, & feminam fecit eum, & dixit, Propter hoc &c.*

23 Dixi 3. *Uxorem pluralitatem, supposita Matrimonij institutione, & Divina dispensatione seclusa, Juri naturali contrariam esse.* Ratio est, quia cum homo corporis sui totum Usarius, DEUS vero Dominus illius sit, non potest homo eo uti, præterquam ad actus à DEO ipsi concessos. Atqui, ut *n. præc.* dictum est, Dominus DEUS in ipsa neptiarum institutione viro solum concessit, ut uni duntaxat mulieri corporis sui usum ad actus conjugales possit tradere, & vicissim mulier uni viro. Ergo pluribus eum usum tradendo, potestatem sibi à DEO datam excedit, Jus illius, & dominium violat, ac proinde peccat contra Jus naturale, quod prohibet læsionem Juris alieni, præsertim Divini.

24 *Quæritur 6. An Polygamia utraque in novo Testamento solum illicita, an verò insuper Matrimonium secundum, postquam aliud jam cum alia, vel alio in initum est, invalidum, sit?* Clarum est esse invalidum, si contrahatur, postquam primum Matrimonium per copulam carnalem jam consummatum est; nam tunc sit omnino auctoritate humana insolubile.

*Dubitari* possit de casu, quo primum Matrimonium ratum solummodo fuit, quando secundum contractum, & consummatum est? *Ratio dubitandi* sumitur 1. ex *c. licet 3. b. tit. ubi Pontifex*, postquam statuerit, virum à secunda uxore separandum, & compellendum esse, ut ad primam redeat, addit, *Quamvis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Atqui non potuissent aliter judicare, si Matrimonium secundum consummatum post aliud ratum Jure Divino, & naturali foret invalidum. 2. Ex *l. si à Titio 72. ff. & l. quoties 15. C. de R. V.* ex quarum dispositione, si quis rem eandem duobus vendidit, præferatur ille, cui res vendita simul tradita est. Igitur à pari, si cum una in initum sit Matrimonium ratum, cum altera etiam consummatum, præferatur secunda, & alterum Matrimonium erit validum. 3. Matrimonium, quod ratum duntaxat est, dissolvitur per Professionem Religiosam, tanquam per Matrimonium Spirituale. Ergo etiam dissolvitur per consummatum, cum etiam hoc sit vinculum fortius.

25 *Sed tenendum est, tanquam indubitatum, quòd etiam hoc casu secundum Matrimonium sit omnino invalidum.* Ita expressè habetur *c. si inter 81. de Sponsal. c. accepisti 2. c. licet 3. c. tua 4. & c. fin. b. tit.* Ratio est, quia per primum Matrimonium vir, & mulier jam transfulerunt jus in corpus ad potentiam copulæ inter se invicem, ita, ut jam uxor potestatem corporis sui non

amplius habeat, sed vir, & vicissim non vir sui, sed uxor. Ergo non habet jus aliquod maritus, quod in corpus suum transferre in aliam uxorem possit, aut vicissim uxor in alium virum.

Neque contrarium probant Argumenta allata pro ratione dubitandi. *Ad 1.* plerique cum Barbof. in *c. cit. n. 5.* & Gonzal. *ibid. n. 2.* dicunt eo verbo *Judicatum* significari non Cathedrali definitionem, sed Judicalem litis privatæ decisionem, in qua Pontifex non est infallibilis. Fortasse etiam ideo Prædecessores dicuntur aliter judicasse, quia prius Matrimonium ratum propter subsequens consummatum ex gravi causa dissolverunt, ut notant Wagnerck in *Exegesi. c. cit. & Magnif. P. Schmier p. 3. de Sponsal. c. 2. n. 195.* *Ad 2.* Negatur suppositum, quòd traditio Juris in corpus ad potentiam copulæ fiat per consummationem Matrimonij; nam hæc corporis traditi usum duntaxat superaddit, ipsum autem jus in corpus jam fuit traditum per contractum, & in ipso contractu Matrimoniali. *Ad 3.* Negatur paritas; nam quòd per Professionem Religiosam Matrimonium ratum dissolvatur, procedit ex speciali favore Religionis, qui favor non consideratur in Matrimonio consummato, imò nec in Sacerdotio.

An verò Pontifex condere Legem possit, ut Matrimonium ratum, & non consummatum dirimatur per subsequens Matrimonium carnali copula consummatum, nonnulli dubitant. *Sed respondendum est*, non posse, cum Covar. *p. 2. de sponsal. c. 7. §. 3. n. 5.* Barbof. in *c. 3. b. tit. n. 5.* Pirhing. *hic n. 6.* Ratio est, quia primum conjugium, etiam ratum, & nondum consummatum, Divina, & naturali Lege præfertur secundo etiam consummato: hinc cum Pontifex in Lege Divina dispensare directè nequeat, etiam per Legem suam non poterit facere, ut per secundum consummatum dissolvatur prius ratum.

*Quæritur 7. An consuetudine licita fieri Polygamia possit?* Dubium faciunt verba S. Augustini relata suprà *ex can. obijciuntur cit.* ubi asserit, uxorum pluralitatem, quando mos erat, crimen non fuisse.

*Sed dicendum, nullam quanticunque temporis, etiam immemorialis, consuetudine Polygamiam posse fieri licitam.* Ita Sot. *dist. 33. cit. q. 1. art. 2. V. & per hoc diluatur.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 3. n. 1.* Bellarm. *l. 1. de Matr. c. 11.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 80. n. 10.* Pirhing *tit. de Sponsal. n. 130. in fin.* Wiestner *hic n. 12.* Reiffenstuel *ibid. n. 3.* Ratio est, quia consuetudo est Jus merè humanum non scriptum, usu, & moribus populi, Legali, vel Canonica approbatione accedente, introductum. Atqui Jus merè humanum adversus Jus Divinum, &

Naturale, quo Polygamia prohibita eſt, prævalere non poteſt. Ergo &c.

Ad textum S. Auguſtini, ut cum Innoc. III. c. *gaudemus* cit. V. nec ulli notant Sanch. n. 26. Pont. n. 4. Wiefner n. 12, cit. in fin. S. Pater intelligendus eſt de more, ſeu conſuetudine, fundata in revelatione, ſeu diſpenſatione Divina, & ab hac, non à ſolo uſu virorum plures uxores ducentium vim obtinere.

Quæritur 8. An humana aliqua, ſaltem Apoſtolica, autoritate diſpenſari ad plu-

ralitatem uxorum poſſit? *ſ. Negativè.* Ita DD. cit. cum S. Thom. diſt. 33. cit. q. 1. art. 2. eſtque concors omnium caterorum ſententia, & perſpicuè habetur c. *gaudemus* cit. V. nec ulli. Ratio obvia eſt? quia nulla humana poteſtate relaxari poteſt Jus naturale, vel Divinum, per tradita Libr. 1. Tit. 2. n. 56. Diſpenſatio autem illa Divina, ſeu conceſſio, quæ erat in Veteri Lege, jam eſt ſublata per Chriſtum, qui reduxit Matrimonium ad primævum ſtatum, ut eſſet conjunctio unius viri cum una femina.

## S. II.

## De Impedimento Sponſalium.

## S U M M A R I U M.

29. Impedimentum Sponſalium de futuro eſt ſolum impediens.
30. Hæc per Matrimonium contractum cum alia, ſi valide id fiat, diſſolvuntur Sponſalia priora.
31. Manent tamen, ſi Matrimonium cum alia contractum ſit invalidè.
32. Utrum per ſubſequentis Matrimonium validum omnino extingatur obligatio priorum Sponſalium?
33. Fundamenta Sententiæ affirmantis.
34. Defenditur Sententiæ negans.
35. 36. Hujus Fundamenta.
37. Solvuntur Argumenta oppoſita.

Quæritur 1. Quale Impedimentum inducatur per Sponſalia de futuro? *ſ. Inducitur tantum impedimentum impediens, non autem dirimens: & hinc qui Sponſalia contraxit cum una, adhuc valide contrahere Matrimonium poteſt cum alia quacunque, niſi hæc conſanguinea ſit Sponſæ prioris in primo gradu; cum hac enim ob impedimentum publicæ honeſtatis dirimens invalidè contrahat. Pater Reſponſio ex c. duobus 1. b. tit. ubi ſtatuitur, Sponſo, cum alia Matrimonium contrahenti, imponendam eſſe poenitentiam de mentita fide, debere tamen manere cum ea, cum qua Matrimonium duxit. Non poſſet autem cum hac manere, ſi Sponſalia inducerent Matrimoniale impedimentum dirimens, ergo dicendum, quòd talis illicitè quidem, & cum injuria prioris Sponſæ Matrimonium contrahat, non tamen invalidè.*

Ex quo ſequitur, per Matrimonium ſubſequentis validum diſſolvi Sponſalia de futuro priùs inita per c. *duobus* cit. c. *sicut* 22. de Sponſal. & c. *ſi inter* 31. eod. Ratio eſt, quia Matrimonium, etiam ratum tantum, eſt vinculum longè fortius, quam Sponſalia de futuro, cum iſta tantum tribuant jus ad rem, illud verò jus etiam in re conferat. Atqui vinculum fortius ſolvit id, quod minus forte eſt, ergo. *Conf.*

38. Per Sponſalia de futuro poſteriora priora non ſolvuntur.
39. Etiamſi illa jurata fuerint.
40. 41. 42. An poſteriora Sponſalia non ſaltem obligent caſu, quo priora ſunt diſſoluta?
43. 44. An adhuc priora implenda ſint, quando ſecundis acceſſit copula carnalis cum Sponſa poſteriore?
45. Rationes dubitandi.
46. 47. Reſpondetur cum diſtinctione.
48. Rationes dubitandi ſolvuntur.
49. *ſ. c.* An ut ex duobus Sponſalibus validentur poſteriora, autoritate Eccleſiaſtica diſſolvi priora poſſint?

Nam Matrimonium ſuperveniens Sponſalibus de futuro, cum alia initis, ſe habet, ut ſecunda venditio, facta cum traditione rei venditæ, reſpectu venditionis prioris, factæ ſine traditione rei. Atqui hoc caſu ſecundus emptor præfertur priori l. *quotiens* 15. C. de R. V. ergo etiam Matrimonium præfertur Sponſalibus priùs initis.

Dixi autem per Matrimonium ſubſequentis *ſ. c.* validum: nam ſi irritum ſit, obligabunt adhuc priora Sponſalia. Joan. Andr. in c. *sicut* cit. n. 4. Ancharan. *ibid.* n. 6. Paludan. in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. caſ. 6. n. 24. Sanch. l. 1. de Matr. D. 48. n. 1. Zœſ. tit. de Sponſal. n. 33. quia ut Reg. 52. in 6. habet, *Non præſtat impedimentum, quod de Jure non fortitur effectum.* Alter tamen Sponſus à Sponſalium fide tum liber manet; quia tranſiens ad nuptias cum alia, cenſetur renuntiãſſe Sponſalibus antecedentibus. Sanch. l. cit. *Excipitur*, niſi etiam ipſe conſenſerit in Matrimonium alterius Sponſi cum alia; tunc enim cenſerentur Sponſalia mutuo conſenſu diſſoluta, & neuter ijsdem ampliùs teneretur, eſſi Matrimonium quocunque ex capite invalidum foret. Pirhing tit. de Sponſal. n. 38.

Quæritur 2. Utrum per ſubſequentis *ſ. c.* Matrimonium validum omnino extingatur obligatio priorum Sponſalium, vel ſolum ſuspendatur, ita, ut Sponſa de præſenti mor-



mortuâ, cum qua Titius contra fidem priorum Sponsalium contraxit Matrimonium, adhuc obligatus sit primam ducere vi priorum Sponsalium: *Negant* obligatum esse Joan. Andr. *in c. sicut cit. n. 4.* Ancharan. *n. 6.* Praposit. *n. 8.* Alex. de Nevo *in c. litteras n. 7. de despons. impub.* Paludan. *in 4. dist. 28. q. 1. art. 1. concl. 4. n. 8.* Gabr. *ibid. q. 2. art. 2. concl. 2.* Henric. *l. 11. de Matr. c. 14. n. 2.* Sanch. *l. 1. de Matr. D. 48. n. 3.* Gutier. *de Matr. c. 27. n. 3. §. verum.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 22.* Tanner. *tom. 4. D. 8. q. 1. dub. 4. n. 56.* § 57. Rosignol. *de Sponsal. II. prenot. 6. n. 8.* Pirhing. *tit. de Sponsal. n. 59.*

**83** *Fundantur 1.* Quia *c. sicut 22. de Sponsal.* dicitur fidem primorum Sponsalium irritam fieri per Sponsalia cum alia de præfenti inita. Igitur obligatio illorum omnino extinguitur. Sed obligatio semel extincta non reviviscit *l. qui res 98. §. aream 8. ff. de solut. ergo &c.* **2.** Quia cum Sponsalia, & Matrimonium sint obligationes ejusdem rationis, & ordinis, quippe utraque ex Justitia, & utraque facta homini, prior obligatio extinguitur per supervenientem fortioiorem, sicut Votum strictioris Religionis extinguitur per Professionem subsecutam in Ordine laxiore *juxta c. qui post 5. de Regular. in 6.* **3.** Si Servus v. g. per stipulationem promissus sit, & postea manumissus, promissio, cum adimpleri non possit, penitus extinguitur, nec reviviscit, etiam si Servus ille denuo redigatur in servitutem *l. inter stipulantem 83. §. sacram 5. ff. de V. O. & l. qui res 98. §. aream 8. ff. de solution.* **4.** Contraria Sententia fovet periculum captandæ mortis alienæ, quatenus prior Sponsa, dum sibi jus aliquod ad Matrimonium superesse novit, nihil magis appetet, quàm ut Matrimonium cum Sponsa posteriore per illius mortem dissolvatur.

**84** Sed his non obstantibus, dicendum, etsi Sponsa hoc casu ob violationem fidei sibi datæ non amplius teneatur Sponsalibus, ijs tamen teneri Sponsum, si Sponsa sic velit. Ita Adrian. *in 4. q. 2. de Matr. ad 2.* Vega *l. 6. Summ. cas. 125.* Petr. de Ledesm. *de Matr. q. 43. art. 3. dub. 2. ad 2.* Conink *D. 23. de Sacram. dub. 4. n. 32.* Pont. *l. 12. de Matrim. c. 13. n. 4.* Hurtad. *D. 2. difficult. 7. Pal. tr. 28. D. 1. p. 21. n. 4.* Perez *D. 9. sect. 7. n. 5.* Zypæus *l. 4. consult. 5. n. 9.* § 10. Henric. Mayr. *de Sponsal. n. 141.* Haun. *Inst. Theol. de Matr. n. 601.* Sporer *de Matr. n. 208.* Wex *p. 5. tr. 2. p. 1. §. 7. n. 13.* König *tit. de Sponsal. n. 62.* Wiestner *ibid. n. 100.* Magnit. P. Schmier *p. 1. de Sponsal. c. 5. n. 22.*

**85** *Ratio est,* quia si Sponsalia de præfenti supervenientia vim haberent omnino dissolvendi Sponsalia de futuro prius inita, eam haberent vel ex Jure naturali, vel ex

positivo: Non autem habent illam ex Jure positivo; quia *c. duobus c. sicut, & c. inter cit.* non dicitur, quòd Sponsalia priora omnino dissolvantur, vel extinguantur, sed tantum deciditur, Matrimonium, post illa in initum cum alia, esse validum, & eo copulatos non separandos. Sed neque hanc vim habent ex Jure naturali; quia hoc Jure spectato, obligatio Sponsalium prius initorum consistere potest cum Matrimonio, saltem quatenus illa respicit tempus istius per obitum dissoluti: imò hoc casu conveniens omnino erat obligationem priorum Sponsalium suspendi, ne is, qui fidem Sponsa priori datam violavit, ex malitia sua commo- dium referat, & pars laxa jure suo privetur etiam pro eo casu, pro quo ejusdem usum nihil impedit, aut moratur.

*Conf.* à paritate cum Voto Religionis, quo obstrictus, si DEO fidem frangat, & **36** Matrimonium ineat, ac consummet, non penitus liberatur Voto, sed adimplere illud, uxore defuncta, debet, & Religionem, si suscipiatur, ingredi: item cum venditione; nam etsi casu, quo Titius e. g. equum, quem prius Cajo vendidit, antequam cum tradat, vendit Sempronio, & simul tradit, in eundem dominium equi transferat, casu tamen, quo iste equum eidem reddit, illum tenetur emptori priori tradere, cur nonidem Juris sit in causa præfenti, præsertim cum omnimodam dissolutionem Sponsalium nec ratio suadeat, nec textus *cit.* evincant.

Hinc *ad 1. Argumentum n. 33.* propositum dico, aliud esse fidem irritam fieri, & aliud Sponsalia prorsus irritari. Irrita fides redditur, quando violatur, aut obex culpabiliter ponitur, quo minus servari possit; idque contingit in data Hypothesi: irritantur prorsus Sponsalia, quando eorum obligatio tollitur ex toto; quod in præfenti fieri negatur, cum ratio, & Jura plus non probent, quàm eam, durante Matrimonio cum alia contracto, suspendi, ac sopiri. *Ad 2.* Negatur paritas; nam Voto simpliciter strictioris, & solenni in laxiore Religione fides non diversis, sed eidem, scilicet DEO, datur, cui cum actualis traditio sui per Professionem in laxiore etiam Religione gratius opus sit, quàm sola promissio ingrediendi strictiorem mirum non est, quòd Ecclesia beneplaciti Divini interpres *c. qui post cit.* obligationem ingrediendi strictiorem Religionem aut declaraverit sublatam, aut contractam potestate sibi à DEO facta remiserit, præsertim cum hoc necessarium videatur ad conservandam Religionum pacem, & eas profitentium tranquillitatem. At in nostro casu fides data est Sponsis diversis, uni pactionis per verba de futuro, alteri consensus per verba de præfenti, quo jus prioris læsum quidem, atque suspensum, non tamen perpetuò remissum est. *Ad 3.* Servus manumissus statum totaliter mutat, &

& in conſideratione Civili alia perſona red-  
ditur, ut adeo mirum non ſit obligationem  
de huiusmodi ſervo præſtando omnino pe-  
rimi; non ita in Matrimonio, quod no-  
vum ſtatum, aut diverſitatem perſonæ in  
conſideratione Civili non inducit, ac proin-  
de etiam non tollit obligationem ex priori-  
bus Sponſalibus oriundam. *Ad 4.* Per ac-  
cidens eſt, quòd Sponſa prior appetat mor-  
tem Sponſæ poſterioris, nec propterea jus,  
priori Sponſæ antecedenter quaſitum, au-  
ferri, vel infringi debet.

<sup>38</sup> Quæritur 3. An ſicut per Matrimo-  
nium, ita etiam per Sponſalia de futuro po-  
ſteriora ſolvantur priora Sponſalia? *30.*  
Non ſolvi, etiamſi poſteriora jurata ſint.  
Ita Abb. in c. ſicut 22. de Sponſal. n. 8. Joan.  
Andr. ibid. n. 4. Anchar. n. 3. Sanch. l. 1. de  
Matr. D. 50. n. 2. Gutier. de Matr. c. 28.  
n. 1. Conink de Sacr. D. 23. n. 28. § 29.  
Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 5. Palao tr.  
28. D. 1. p. 22. n. 1. § 2. Engl. tit. de Spon-  
ſal. n. 3. ſin. § n. 5. Pirhing. ibid. n. 56.  
Schambog. n. 84. & tit. præſent. n. 2. Reif-  
enſtuel ibid. n. 5. Magnif. P. Schmier p. 1.  
de Sponſal. c. 3. n. 38. & ſumitur ex c. ſicut  
22. & c. ſi inter 31. de Sponſal. Unde hu-  
jusmodi Sponſalia ſecunda iniens tenebitur  
adhuc ducere priorem Sponſam, quamvis  
iſta, ſi velit, poſſit ab ijs, quæ cum illo  
contraxit, Sponſalibus reſiliere. *Ratio eſt,*  
quia ſecunda Sponſalia, etiam jurata, in-  
valida ſunt, cum nemo poſſit validè rem  
aliquam promittere alicui, quam alteri vali-  
dè obligavit.

<sup>39</sup> Dixi, eſſi poſteriora jurata ſint; ne-  
que enim Juramentum eſt vinculum iniqui-  
tatis c. quanto 18. de Jurejur. aut obligatio-  
nem inducit cum præjudicio tertij. *Reg. non  
eſt obligatorium 58. de R. J. in 6.* Addidi, par-  
tem alteram, ſi velit, eo caſu à Sponſalibus  
poſſe recedere; quia contrahens ſecunda Spon-  
ſalia eo ipſo cenſetur renunſiſſe prioribus.

Procedit autem reſponſio, ſive Spon-  
ſalia clàm, ſive coram teſtibus celebrata ſint;  
nam etiam caſu, quo priora clàm, poſte-  
riora coram Parocho, & teſtibus fuerunt  
inita, per ſe loquendo prioribus ſtandum  
eſt. *Per ſe*, inquam; per accidens enim  
aliquando prævalere poſteriora hoc caſu po-  
terunt, ut ſi Sponſus intelligat, ſibi, & prio-  
ri Sponſæ omni probatione deſtitutis, etiam  
oblato Juramento, fidem in Conſiſtorio  
habendam non fore, ſed cenſuris compen-  
dendum ad ducendam poſtteriorem, cum ſui  
majore infamatione &c. nam hoc caſu prior  
Sponſa rationabiliter contenta eſſe, atque  
jure ſuo cedere debet, ut notat Laym. l.  
5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 5. § ſecunda.

<sup>40</sup> Difficultas major eſt, an poſteriora  
Sponſalia non ſaltem obligent caſu, quo  
alterius conjugis morte, ingreſſu Religionis,  
renunſiatione &c. priora Sponſalia ſunt diſ-  
ſoluta? Negant Sanch. l. 3. de Matr. D.

50. n. 6. & Pontius l. 12. de Matrim. c. 14.  
n. 2. Affirmant Covar. p. 1. de Sponſal. c. 4.  
§. 1. n. 10. & Rebell. l. 4. de Oblig. Juſt. q.  
2. ſect. 2. n. 55. In concordiam has duas  
Sententias reducunt Perez D. 9. de Matr.  
ſect. 8. n. 6. & P. Wiefner b. tit. n. 19.  
adhibita diſtinctione; Vel enim Sponſalia  
poſteriora abſolutè ſunt inita, & collata in  
tempus, quo promittens adhuc obligabatur  
primis Sponſalibus; vel conditionatè tan-  
tùm, & ſub conditione, ut tunc haberent  
vim, quando priora Sponſalia fuerint diſſo-  
luta.

*ſi primum*, Sponſalia ſecunda per ſe, <sup>41</sup>  
& vi promiſſionis non obligabunt, etiam  
poſt priorum diſſolutionem. *Ratio eſt*,  
quia durante priorum valore, & obligatio-  
ne, promiſſio Matrimonij alteri facta inva-  
lida fuit; quod autem initio invalidum eſt,  
tractu temporis non convaleſcit. Addidi  
autem, *per ſe*, & *vi promiſſionis*, per accidens  
enim v. g. caſu quo Virginem, aut Viduam  
honeſtam, Sponſalium priorum ignaram,  
ſub ſpe Matrimonij quis corrupiſſet, eam,  
prioribus per mortem, aut alio modo diſſo-  
lutis, teneretur ducere, ſaltem ratione dam-  
ni, quod alia ratione compenſari non poſ-  
ſet.

*ſi verò ſecundum fiat*, & Sponſalia <sup>42</sup>  
inita ſint ſub conditione, ut teneant, &  
obligent, cum priora fuerint diſſoluta, cla-  
rum eſt, diſſolutione priorum facta, ſic  
promittentem ſtare promiſſis, & poſterio-  
rem teneri ducere; nam etiam ante diſ-  
ſolutionem obligabant conditionatè. igitur  
diſſolutione facta, ſub qua tanquam condi-  
tione inita ſunt, obligabunt abſolutè.

Quæritur 4. An adhuc priora Spon- <sup>43</sup>  
ſalia implenda ſint, quando ſecundis acceſſit  
copula carnalis cum Sponſa poſtiori? *Certum eſt*  
1. implenda priora Sponſalia  
eſſe, ſi etiam iſtis copula carnalis acceſſit;  
cum enim hoc caſu utriusque damnum  
æquale ſit, prioris Sponſæ jus utique erit  
potius *arg. Reg. qui prior 54. in 6.*

*Certum eſt* 2. Pariter implenda prima  
eſſe caſu, quo poſterior Sponſa conſcia erat  
priorum Sponſalium, initorum cum alia;  
quia ſi notitiam iſtorum habuit, decepta dici  
non poteſt *arg. l. Labeo 1. §. ſi intelligatur  
6. ff. de edilit. Edict.*

*Certum eſt* 3. Implenda in contrarium <sup>44</sup>  
eſſe ſecunda Sponſalia, quando prior Spon-  
ſa vult cedere Jure ſuo, aut alias obligatio  
priorum Sponſalium ex juſta cauſa diſſolvi-  
tur, quia ne poſteriora Sponſalia dicantur  
peccaminosa eſſe, præſumendum eſt, illa non  
fuiſſe contracta abſolutè, ſed conditionatè,  
ſi nempe priora Sponſalia ex renunſiatione  
prioris Sponſæ, vel alia ex cauſa deſerint  
obligare, atqui ſi ita conditionatè poſterio-  
ra ſint inita, obligationem inducunt, etiam  
ſi copula non acceſſerit, ſecundùm dicta *n.*  
<sup>42</sup> ergo multò magis poſt diſſolutionem  
prio-

priorum obligabunt, quando accessit copula, ut sic Matrimonij contractu compensetur damnum illatum.

45 *Dubium* procedit solum casu, quo prioribus Sponsalibus carnale commercium non accessit, accessit autem secundis, & Sponsa hæc altera Sponsalium prius initiorum fuit ignara, Major in 4. dist. 27. q. 5. Conink D. 23. de Sacram. dub. 4. concl. 4. n. 34. Rebell. l. 4. de oblig. Just. q. 2. sect. 8. n. 56. Pont. l. 12. c. 14. n. 4. Pal. tr. 28. D. 1. p. 22. n. 6. Honor. tit. de Sponsal. n. 15. existimant eo casu Sponsalia priora utrimque solvi, & posteriora adimpleri debere. *Fundantur* 1. quia per copulam fit anticipata quædam traditio corporis, quæ cum ante Trid. habuerit vim inducendi Matrimonium e. veniens 15. & c. is qui fidem 30. de Sponsal. hodie saltem inducet Sponsalia cum posteriore, & quæ cum alia persona prius inita sunt, dissolvit arg. l. quotiens 15. C. de R. V. ex cuius dispositione, si res, quæ uni est vendita, alteri postea vendatur iterum, & tradatur, licet primo facta sit injuria, venditio tamen secunda tenet. 2. Cum duo inter se certant, unus de lucro captando, alter de damno vitando, huic potius favendum est, quam illi. atqui in proposito secunda Sponsa certat de damno vitando, prima solum de lucro captando, ergo secunda favendum est præ prima. 3. Qui post Votum Religionis, vel Castitatis emissum corrumpit Virginitatem, tenetur eandem ducere, non obstante Voto prius emissio. ergo etiam in proposito casu tenebitur ducere secundam, si eam corrumpit, non obstantibus Sponsalibus cum prima.

46 Resolvi difficultas ista ope distinctionis potest: Vel enim deceptæ damnum non est grave, aut saltem alio modo, quam, secutis nuptiis, compensari potest, vel contra grave est, nec alio modo, quam per nuptias compensabile.

*Si primum*, deflorator à prioribus Sponsalibus, Sponsam invitâ, non potest recedere. Ita Sot. in 4. dist. 27. q. 2. art. 4. Henriq. l. 11. de Matr. c. 13. n. 3. Gutier. de Matr. c. 27. n. 7. Sanch. l. 1. de Matr. D. 49. n. 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 5. Zoel. tit. de Sponsal. n. 36. Engl. ibid. §. 3. n. 5. Pirhing n. 57. Schambog. n. 88. König n. 27. Krimer n. 273. Wieselner hic n. 24. Reiffenstuel ibid. n. 7. *Ratio est* 1. Quia per injuriam illatam posteriori Sponsæ non auferitur jus prioris; quamvis enim hæc ob notabilem mutationem, quæ hujusmodi defloratione intervenit ex parte Sponsi, Sponsalibus secum initis non amplius adstringatur, ipsa tamen, si velit, petere adhuc potest, ut Sponsus fidem sibi datam servet. 2. Quia sic magna aperiretur via fraudibus, & dolis, dum quisvis liberari à sua Sponsa, & cum alia conjungi cupiens, absque omni alia causa illico se liberare pos-

set, spondendo nempe alteri Matrimonium, & copulam cum ea habendo. 3. Quia si hoc casu dissolverentur priora Sponsalia, dissolverentur vel ratione promissionis, vel ratione damni: *non ratione promissionis*; quia hæc cum nulla sit, jus Matrimonij transferre in posteriorem non potuit arg. l. non dubium 5. pr. §. sed est C. de LL. *Non etiam ratione damni*; quia hoc, ut ponimus, referri alia ratione potest. Tenebitur ergo hoc casu deflorans ducere primam, si adhuc potest. Dixi, *Si adhuc potest*; nam casu, quo posteriora Sponsalia cum copula habita sunt cum cognata primæ Sponsæ in primo gradu, sine dispensatione cum neutra amplius inire Matrimonium potest: non cum prima ob impedimentum Affinitatis; nec cum secunda ob impedimentum publicæ honestatis, quod ex prioribus Sponsalibus validis ortum est: & sic juxta aliquos tollitur omnino obligatio etiam ducendi primam: de quo videatur Tit. 1. n. 210. *Et seqq.* ubi dixi, interveniente Impedimento dirimente dispensabili, eum, qui causa impedimenti extitit, teneri petere dispensationem, & hac impetrata, itare Sponsalibus.

*Si secundum*, & secunda Sponsæ, 47 priorum Sponsalium ignaræ, grave damnum, quod alio modo, quam per nuptias compensari nequeat, illatum est, tenebitur prima ex Charitate saltem jure suo cedere, & permittere, ut deflorans nuptias ineat cum secunda, ut plerique ex cit. advertunt cum Sanch. l. cit. n. 6. *Ratio est*, quia Caritas quemlibet obligat ad leve damnum subeundum, si ita grave damnum proximi impediri possit. An verò hæc obligatio solum se contineat intra forum conscientiæ, an contra locum habeat etiam in foro externo, ita, ut casu, quo prima Sponsa nollet Jure suo cedere, deceptor nihilominus ad posteriorem ducendam obligari, & condemnari à Judice possit, dubium est inter DD. *Affirmant* Ludovicus Lopez p. 2. Instr. de Matr. c. 38. fol. 1046. Henriq. l. cit. Sanch. n. 6. *Negant* alij cum P. Reiffenstuel l. cit. quia non apparet, quo Jure aliquis in foro externo compelli possit, ut ad liberandum alterum à gravi malo jus suum derelinquat.

Argumenta in contrarium allata in tentum non obtinent. *Ad 1.* cum copula illa post Trid. sit merè fornicaria, non potest habere rationem legitimæ traditionis, quæ jus auferatur priori Sponsæ. *Ad 2.* imprimis etiam prima Sponsa certat de damno vitando, cum amissio Juris quaeriri, & radicari non minus inter damna numerari debeat, quam alia Juris violatio: unde sicut prima Sponsa est prior tempore, ita etiam est potior Jure. Reiffenstuel hic n. 9. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 54. *respons. ad 3.* Dinde prerogativa certantus de damno vitando non habet

bet vim jure suo privandi alterum, quando damnatum illud alio modo compensari potest.

*Ad 3.* Aliud est in Voto Religionis, vel Castitatis; nam ex Voto solum oritur obligatio Religionis; ex Sponsalibus vero exurgit obligatio Justitiæ, quæ multo est strictior. Prima ex Voto cessat in casu Argumenti; quia DEUS non vult impleri promissionem sibi factam cum damno tertij: non vero cessat obligatio Justitiæ orta ex Sponsalibus primis per Sponsalia secunda cum defloratione; quia homines nolunt privari jure suo propter injuriam illatam alteri.

*Quæritur 5.* An, ut ex duobus Sponsalibus validentur posteriora, autoritate Ecclesiastica dissolvi priora possint? *Certum est* dissolvi posse, si ex parte Sponsi, vel Sponsæ prioris post Sponsalia, legitime inter illos contracta, superveniat, vel appareat iusta resiliendi causa; nam si de ejusmodi causa liqueat, etiam propria autoritate Sponsus resiliere à Sponsa potest, & vicissim, ut dictum est *Tit. 1. n. 215.*

*Dubium est*, quando alia causa non est, nisi, quod is, qui utraque Sponsalia iniit, à Sponsa, vel Sponso priore valde abhorrere, aut eum odisse coeperit; quod affectu multo proniore feratur in posteriorem Sponsam, vel Sponsum; quod nuptiæ cum secunda sponsa, vel Sponso statui ejus magis convenire, aut privatim, vel publicè utiliores fore judicentur &c.

Ad quod dubium respondeo distinguendo: Vel enim dispensatio in Sponsalibus primò initis ob aliquam ex assignatis causis petitur à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, aut alio Prælato Papâ inferiore.

*Si primum*, nemo facillè ambigit, quod ex tali causa, præsertim si Spirituale animæ, aut publicum bonum spectet, Apostolica au-

thoritate dirimi Sponsalia priora possint, & ita convalidari secunda; cum enim ex gravi, & præsertim publica causa Pontifex relaxare possit vinculum Matrimonij rati, ut dicitur *infra Tit. 19. de Divort.* multo magis ab illo dissolvi poterunt ex simili causa Sponsalia de futuro, juxta Regulam, *Cui licet, quod plus est, licet utique quod est minus.*

*Si secundum*, probabilis negatur, eam potestatem competere Episcopo, vel alij Prælato autoritate Ordinaria, prout docent Armill. *V. Matrimonium n. 60.* Paludan, in *4. dist. 27. q. 1. art. 2. n. 14.* Sot. *dist. cit. q. un. art. 1. concl. 2.* Veracruz p. 1. *Specul. art. 27. paulò post, princ.* Cajet. in *Summ. V. Matrimonium c. 1. §. 85 scito.* Henriq. l. 12. *de Matr. c. 2. n. 2.* Lud. Lopez p. 2. *Instr. de Matr. c. 46. circa 5. Impedim.* Sanchez l. 7. *de Matr. D. 17. n. 13.* Wiestner *hic n. 26.* & colligitur ex *c. litteris 10. de Sponsal.* ubi Alexander III. Episcopo Pictaviensi mandat, ut Sponsum ad fidem Sponsæ datam, per nuptias adimplendam compellat, non obscuro indicio, sponsalia ab Episcopo relaxari non posse.

*Ratio est*, quia hujusmodi Sponsalium dissolutione fit quidem petenti favor, alteri tamen auferitur jus, ex ijs justè acquisitum, atqui jus alteri quocunque justo titulo acquisitum nemo auferre potest, qui Summo Principe inferior est, imò nec ipse Supremus Princeps, nisi ex causa gravi, & ferè publica. ergo &c.

Neque Episcopis patrocinatur Regula, quam tradunt *Abulensis, Victoria, Sotus*, quod Episcopus in sua Diocesi possit, quod in tota Ecclesia potest Pontifex; nam hæc Regula, ut aliquando jam dixi, nisi varijs adhibitis limitationibus temperetur, profus inanis est, & nullo Juris adminiculo nixa.

